

Postremo maximi momenti est, quod Gaius ipsos libros suos ex parte saltem aperte scholae potius quam foro destinavit maximusque studii theoretici excitator et promotor exstitit: qua in re ei et Athenaeum Graecarum disciplinarum ab Hadriano Romae institutum et edicti compositionem ab Iuliano absolutam incitamento fuisse perquam credibile est. Omnino enim iuri civili, hoc est fere privato, quod solum tum in scholis tractabatur, totum se dans imprimis libros 'ad edictum urbicum' potissimum in scholarum usum scripsisse videtur. Cum enim Ciceronis aetate (de legg. 1, 5, 17) maxime ex edicto praetoris ius civile disci coeptum esset, hic mos sub imperatoribus non modo retentus, sed etiam excultus est. In Gai vero libris primum hoc singulare ac novum fuisse videtur, quod 'ad edictum urbicum' scripsit, quem titulum generalem praebet index Flor. ('ad edictum urbicum τὰ μόνα εὐρεθέντα βιβλία δέκα'), complexus ea appellatione, quae post deletam et in officium commutatam magistratum potestatem naturaliter non ad eorum ius, sed ad locum spectaret itaque 'edicto provinciali' responderet, ea, quae Cicero ad Attic. 6, 1 § 15 appellat edicta urbana i. e. praetoris urbani (cum aedilicio) et peregrini.<sup>1</sup> Deinde vero dupliciter eius operis partes distinxisse et numerasse deprehenditur; praeter generalem enim illum titulum, ex quo omnes libri crescente numero significabantur, quoties specialiter quid ex iis refertur, omisso plerumque totius operis titulo et libro<sup>2</sup>, singuli tituli interdum adiecto 'ad edictum praetoris urbani' et in his quidam in complures libros divisi commemorantur<sup>3</sup>; unde apparet Gaium singu-

1) Qui postea 'ad edictum' tantum scripserunt, tam urbicum quam provinciale complexi esse putandi sunt. 2) Plerique enim singulares tantum libros sibi comparabant et certe Iustiniani prudentes, teste indice Florentino, tales tantum habebant: quod effecit, ut totius operis librorum numeri neglegerentur. 3) In inscriptionibus reperiuntur 'lib. I, II de testamentis ad edictum praetoris urbani' (vel negligentius 'praetoris' vel 'ad edictum urbicum'); 'lib. I, II, III de legatis